pectore prolatis diverſorium petunt ; vix limina domûs attigerant, dum quiſpiam adeſt nuntians prædicta inferri poſſe. Videtis credo jam tum firmam in Deum fidem effectu ſuo non caruiſſe. Poſt tres dies Conſul Exken deducitur in turrim Cygnorum, vulgò *Swaenen Toorn* in quoddam cubiculum adjacens cuidam Domui civicæ, ubi commoda colloquendi & invicem videndi dabatur occaſio pedibus ferro cruciatim diſtrictis, & à duobus militibus cuſtoditur. Idipſum intelligens filia Petronella ex ſupra memorata domo Patrem inviſit, de ſtatu & valetudine rogat. Reſpondet Pater, ſe quatuor annorum ſpatio melius & ſecurius non cubaſſe, ſe omnia Domino Deo, ejúsque infallibili providentiæ recommendare, & de bono exitu minimè ambigere.

CAPUT XXVI.

Quomodo Uxores Sereniſſimo Neo-Principi Supplicam ad manus proprias tradant, & quid contigerit.

POſterâ poſt Supplicam confectam die ſex captivorum Uxores Caſtrum, ſive Aulam aſcendunt tempus exſpectantes, quo Sereniſſimus ſe prandio ſumendo accingeret, ut inter prætereundum Eidem Supplicam ad manus proprias exhiberent. Onus hoc in ſe ſuſcipit filia Goſwyni Exken uxor Jacobi Temmingh adſtantibus reliquis : ſummâ igitur reverentiâ, quâ par eſt, eandem porrigit, pauca verba miſcens. Sereniſſimus Elector acceptâ Supplicâ per longum ambitum gradiebatur, ſæpius reſpiciens, & oculos in Matronas conjiciens ; cùm ergo ingreſſo cubili Sereniſſimus ſedem aſcendiſſet, mittit Cubicularium

larium ut post prandium reverterentur responsum accepturæ. Hæc sexui isti fragili arridebant, & concludunt etiam corpus proprium aliquo cibo refocillare, & domum abire; verùm obstat Petronella Exken dicens: Magni Domini breve prandium sumunt, pro majori securitate exspectemus. Reliquis autem abeuntibus Petronella invenit quendam Electoris Domesticum, quem de longinquitate sive diuturnitate prandii summâ cum submissione interrogabat. Respondet prænominatus Dominus: si vobis boni consilii author esse velim, manete hîc. His auditis mox aliarum gressus insequitur, & revocat; verùm volentes denuo Aulam conscendere à militibus prætorianis lanceis & bombardis ab ingressu violenter prohibentur. Interrogat Petronella, cujus mandato talia attentare audeant. Dicunt: Principis. Replicat illa: hæc est manifesta falsitas; nam Princeps nobis jussit, ut post prandium reverteremur. Respondet miles: perinde est, vestrî causâ nolumus captivitatem subire. His auditis retrocedere cogebantur, & ab isto tempore ne vel pedem Aulæ inferre audebant. Timebant isti, ne fortè Princeps falsitatem detegeret, & consequenter formatus conceptus cum dedecore evanesceret. Matronæ ergo taliter à militibus deceptæ omni meliori modo sibi amicos comparant, quibus sua scripta & Supplicas recommendent. Verùm susurrones isti Neo-Principem in suas partes trahere conabantur; sicut & omnem lapidem moverant, ut mendacia ista Fiscali persuaderent. Nam speciem hîc cape: vix Fiscalis Clivense Territorium attigerat, cùm mox à Lamberto Charles in lauto prandio in ædibus Consiliarii Voest excipitur, cui intererat Petrus Ceporinus cum duobus primariis

primariis hujus tragœdiæ instrumentis. Omnibus jam pro capiendis cibis & mensâ paratis ingrediuntur Matronæ Gochenses, Fiscalem humanissimè salutant, de prospero adventu gratulantur, & Justitiam implorant; addunt insuper: Si maritos nostros pravitatis convincere poteritis, secundùm leges puniantur; verùm idipsum in æternum non probabitis. Respondet Fiscalis: Contentæ estote, Justitia vobis administrabitur. His auditis abierunt. Circumstantes, inter quos Lambertus Charles, & Petrus Ceporinus ne vel verbum mussitabant; verùm adeò rugosam & torvam frontem exhibebant, ut ex lineamentis vultûs liquidò pateret internus animi affectus. Ne verò Lambertus Charles ulterius alloquium à Matronis sustinere cogeretur, posterâ die domicilium mutat, & aulam eligit, & spargi curat se morbo articulari vel podagrâ detineri; verùm hîc indies susurrones isti cum Textore sua conventicula celebrabant, deliberantes, quidnam Textori ad interrogata respondendum foret. Consiliarii Regiminis Ducatûs Clivensis Consessum Aulicum desuper interpellant, dicentes: Hæc negotia ad nos pertinent, quia Cliviæ subditi sunt. Respondet Aula: Quid ad nos. Res istæ jam in manibus Gubernatoris versatæ fuerunt. Ecce quomodo Gubernator iste plurimos in suas partes traxerat.

CAPUT XXVII.

Minantur Matronis linguarum perforationem candentibus cuspidibus.

IN summa, res eò devenerat, ut nullibi vel umbra solatii aut liberationis appareret; quare solo di-